



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *SANCTUM TIMOREM DEI* VENERABILI SERVAE DEI PAULAE MONTAL FORNÉS**

**A S. IOSEPHO DE CALASANTIO BEATORUM HONORES DECERNUNTUR** Ad perpetuam rei memoriam. –

«Sanctum timorem Dei puellulas edocere cupio, ut familiae salvae fiant». Hoc erat effatum, quo Serva Dei Paula Montal Fornés etiam apostolicas suas definiebat partes, quas scilicet, ut mulieres proveheret et salvae ita familiae fierent societasque transformaretur, omni humana et christiana educatione puellulis et adolescentibus tradita, ad effectum adduxit. Negotium illo tempore urgens nostroque adhuc praesens. Haec Venerabilis Serva Dei in oppido Hispanico «Arenys de Mar» die XI mensis Octobris nata est anno MDCCXCIX, primo loco genita a Raimundo Montal et Vincentia Fornés, qui, ambo in viduitate olim relictis, alteris iustis nuptiis deinde inter se cuncti iuncti, a quibus bene secundum instituta Evangelii educata est. Mortuo patre, cum opus arcariae inire adolescens coepisset, laborem in se experiens, dilucide ac perspicue intellexit mulierum integram progressionem in civili societate et in Ecclesia comparandam esse, magno spectato momento et effectu earum apud familiam et societatem iam ad machinalem industriam artemque pertinentes; sed opportuna in mulieribus educatio adhuc desiderabatur. Docilis ad gratiam, cum ad id opus a Deo vocari consciret, anno MDCCCXXIX, victis socialibus et politicis illius temporis difficultatibus, opum oeconomicarum experta ab «Arenys de Mar» ad oppidum «Figueras» se transtulit, primumque ludum ibi pro puellulis aperuit, amplis provisio educationis rationibus ad memorata proposita accommodatis. Studiosa animorum puellarum et adolescentium, futurarum matrumfamilias, multis difficultatibus fortiter restitit, ut Scholam eiusdem generis variis in locis aperiret probeque ordinaret. Cum charismata Sancti Iosephi de Calasancio omnino cohaerens, inde ex quo in «Figueras» domicilium collocavit, secundum eius ipsius religiositatem et Regulas vivere cupiebat; annoque MDCCCXXXVII in oppido «Sabadell», adiuvantibus Clericis Regularibus Pauperibus Matris Dei Scholarum Piarum, suam in Schola Pia operam inclusit, ubi eo ipso anno Paula primaeque eius sociae die II mensis Februarii vota ut Filiae Mariae Scholarum Piarum nuncupaverunt, addito tribus votis religiosi voto docendi. Congregatio anno MDCCCLI ab Episcopo Gerundensi est approbata, eademque a Pio Pp. IX, ve. me., ad gradum pontificium evecta comprobata est anno MDCCCLX. Ea igitur Serva Dei prima fuit, quae saeculo XIX primam Hispanicam mulierum Congregationem populari indole distinctam unice educandi muneri totam traditam condiderit. Primo Capitulo, quod anno MDCCCXXXVII est celebratum, neque antistita generalis electa est, neque generalis consultrix. Septem per annos, quos magistra novitiarum in oppido «Sabadell» transegit (MDCCCLII-MDCCCLIX), peculiarem in modum sanctitate virtutum religiosarum splenduit, testibus fere centum novitiis, quae illis annis formatae sunt. Tertium temporis spatium (MDCCCLIX-MDCCCLXXXIX), quo Olesae Montis Serrati vixit, refertissimum fuit exemplis virtutum et sanctitatis vitae, quemadmodum iugiter apud Communitatem et inter alumnas omnesque loci incolas Serva Dei ob suam fidei rationem, ob supernaturalem omnium rerum visionem, ob extraordinariam humilitatem omnemque virtutum usum notissima fuit. Inde a sodalitate in «Figueras» condita vitam vixit fide firma et operosa, omnibus vitae eventibus acceptis perinde atque ab ipso Deo Patre allatis. Pariterque collustrabatur

caritatis ardore, vi spei ac fiduciae, magno orationis spiritu, pietate, qua sacrae intererat celebrationi mysteriorum Dei, necnon amore erga B. V. Mariam. Eucharistiae devotissima, id Sacramentum agnoscebat et animarum sanctificationis causam esse et Sacrificium honorem Deo tribuens eumque placans. Has sancte coluit virtutes: prudentiam tum Congregationis vita navitateque apostolica moderanda et ordinanda, tum absque anno MDCCCXXXVII haud facili rerum statu ferendo; fortitudinem doloribus cruciatibusque patienter et mansuete perferendis, quibus implicabatur vita eius; temperantiam animique moderationem bono animo paupertate suscipienda vitaeque austeritate; ipsamque iustitiam iis Deo reddendis, quae Dei erant, proximo autem praestandis propriis. Institutorium eius opus ex ipsa iustitia sociali et christiana erga mulieres servanda manabat. Humilitatem, quam memoravimus, et oboedientiam, neutiquam theoretice, sed heroum in modum in cotidianis eventibus coluit socialique in ambitu. Postremis annis vero contemplationis studio flagavit. Postquam acerbum sustulit morbum, eam, iam magna sanctitatis fama fruentem, ad se Deus vocavit die XXVI mensis Februarii, anno MDCCCLXXXIX. Canonizationis Causae initium factum est in dioecesi Barcinonensi anno MCMLVII. Omnibus expletis iure statutis, in conspectu Nostro die XXVIII mensis Novembris anno MCMLXXXVIII Decretum de virtutibus heroum in modum ab eadem Serva Dei cultis editum est. Iudicialiter ad Curiam archiepiscopalem Bellohorizontinam cognitum est (MCMXCI-MCMXCII) de coniecta quadam curatione, quae divinitus effecta anno MCMLXV dicebatur, deprecante Serva Dei, pro Brasiliensi muliere Scholarum Piarum sodali; deinde die XXI mensis Decembris anno MCMXCII pro secundo eiusmodi inspectionis exitu Decretum promulgatum est «super miro». Quare simul statuimus, ut Beatificationis ritus die XVIII mensis Aprilis anno MCMXCIII Romae celebraretur. Hodie igitur ad Basilicam Petrianam inter Sacra hanc beatificationis formulam elocuti sumus: «Nos, vota Venerabilium Fratrum Nostrorum Michaëlis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Richardi Mariae Caries Gordó, Archiepiscopi Barcinonensis et Francisci Macharski, Archiepiscopi Cracoviensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Ludovicus a Casaurea, Paula Montal Fornés a Sancto Iosepho Calasanctio, Maria Angela Truskowska et Faustina Kowalska, Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Ludovici a Casaurea die tricesimo mensis Martii; Paulae Montal Fornés a Sancto Iosepho Calasanctio die vicesimo sexto Februarii; Mariae Angelae Truskowska die decimo Octobris et Faustinae Kowalska die quinto mensis Octobris in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Cum vero eorundem caelitem Beatorum claris christianae ac religiosae vitae ipsimet permoveremur speciminibus nec sine iustissima quidem reremur causa iisdem plurimum adiutum iri universum Dei Populum atque Ecclesiae per terras coetum disseminatum, adgressi alacriter habere orationem sacram sumus qua non modo praefulgentem illorum recensuimus vitam virtutumque magnitudinem verum opportunitatem eorum doctrinae inculcavimus praesentibus praesertim in generis humani adiunctis. Pie eos deinde primi sumus religioso adfectu venerati precibusque fuis pro omni orbe eiusque necessitatibus precati. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Aprilis, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana